7

Q. D. B. V.

HISTORIA ÆGRI SPASMO INTESTINORUM LABORANTIS,

Reſoluta

&

SUB SCHEMATE DISSERTATIONIS MEDICÆ,

Annuente Supremo Numine,

Sub PRÆSIDIO

DN. ELIÆ RUDOLPHI CAMERARII, Phil. & Med. Doct. ac P. P. Ordin. Facult. h. t. Decani Spectatiſſimi, Conſiliarii & Archiatri Wirtemberg. Dn. Patroni & Præceptoris Colendiſſimi,

Publico Examini expoſita,

à

JOHANNE ZELLERO, Lienzingens.

D. 31. Julii.

Horis antemeridianis, in Auditorio Medico.

TUBINGÆ,

Typis excudit Gregorius Kerner, 1680.

VIRIS.
Summè Reverendis, Digniſſimis, Ampliſſimis & Præclariſſimis,

DN. JOH. CUNRADO ZELLERO,
Sereniſſimo Würtembergiæ DUCI à Conſiliis, Ordin. Provincial. Selectioris Senatus Aſſeſſori Seniori, Cœnobii Bebenhuſani Præſuli & Generali Superintendenti Digniſſimo.

DN. JOHANNI ZELLERO,
Ordinum Provincialium Conſiliario Graviſſimo, Abbati Alpirſpacenſium Meritiſſimo, Speciali Diæceſeos Vayhinganæ Superintendenti Dexterrimo.

DN. M. JOH. WOLFGANG SCHOLLIO,
Paſtori Wiersheimenſium Vigilantiſſimo.

DN. M. CHRISTOPHORO ZELLERO,
Præceptori Superiori in Collegio Mulifontano Monaſteriali, ut & Eccleſiæ ibid. Miniſtro fideliſſimo.

DNN. Patruo, Parenti, Affini & Fratri,

Patribus, Studiorum Morumque Directoribus maximopere ſuſpiciendis, æternùm venerandis & longè dilectiſſimis,

Diſſertationem hanc
Offert & dedicat.
Nepos, Filius & Frater
Devotiſſimus, Obſequentiſſimus, Addictiſſimus

JOHANNES ZELLER.

HISTORIA.

CAlendis Martii Anno 1680. conſilium *Medici* petiit Vir 40. circiter annorum, literis à juventute ſtrenuam navans operam, ſtaturæ proceræ, habitus gracilioris, capillis ſubfuſcis præditus. Triennio abhinc, ut & anni prioris tempore verno, tales, quales nunc dolores utraq; vice cum ſubſequente pareſi (acidulis & thermis poſt ſublata) expertus, in ſcheda, quæ bina iſta vice ex *Alius Medici* tùm ſibi familiaris conſilio uſurparat, exhibens deſcripta medicamenta ſequentia. ℞. *H. malv. cerefol. petroſelin. fl. chamomill. ſambuc. ſummitat. aneth. ana. mß. ſem. cumin. carvi ana* ʒij. *coqu. in lacte vaccino q. ſ.* ℞. *colatur* ℔j. *Electuar. lenitiv. Fl. caſs. pro clyſt. ana.* ℥j. *El. de bacc. laur. hier. pier. ana.* ℥ß. *ol. ruth. chamomill. amygd. dulc. ana.* ℥j. *ſal. commun. parum.* M F. Enema. Aliquoties reiterat. ℞ *Herb. abſynth. fragar. fl. violar, ana. mß. rad rhabarb.* ʒß. *polypod. q.* ℥j. *turpeth.* ʒij. *fol. ſenn. ſ. ſ.* ℥j. *Agar. trochiſc.* ʒjß. *paſſular. min* ℥ij. *cort. citr. arant. cinamom. ana.* ʒj. *tartari crudi.* ʒiij. *infund. per noctem in aquæ fontan.* ℔ijß. *manè ebull. Dentur quotidie pro doſi* ℥iv. *add. tertio die dos. extract. diacarth.* ℈ß. ℞. *Aq. carminativ. M. aniſi, menth. ana.* ℥iß. *ſyr. aniſ.* ʒvi. *Elix. vitriol. M.* ℈j. M. D. ad vitrum. S. Mixtur/ davon bißweilen ein paar Löffel voll zu nehmen. ℞. *Pil. Francof.* ʒß. D. S Laxier-Pillulen / davon 15. auff einmal ein Stund vor dem Nachteſſen zu nehmen. ℞. *Empl. de cruſt. pan.* ℥ij. *ol. abſynth. mac. nuciſt. cinamom. ana. gtt. iiij.* M. D. S. Magenpflaſter. Conquerebatur jam per biduum vel triduum alvum ſibi non ut aliàs liberam fuiſſe, appetitum imminutum, heri horis matutinis intenſos ventris ſubortos dolores de hora in horam creſcentes, noctem ſe penitùs inſomnem transegiſſe proximam, vomuiſſe: Examine ſecundùm Artis requiſita inſtituto, dictis Martii Calendis, quæ deprehendit Medicus ſunt ſequentia: Color vultus & oculorum ad flavedinem inclinans cum plumbeo qſ. permixtus erat, ut & cornu ferè referrent oculi non ſereni, appetitus non proſtratus ſolùm, ſed & nauſea vehemens, ut & carnis juſcula vel odore ſaltem percepta averſaretur, ſitis intenſa, vomitus & aſſumpto-

ſum, & muci viſcidi, anxietas, jactatio, cardialgia vehemens, mox à vomitu parùm remittens, dolores circa umbilicum, qui retractus dorſum verſus, ut foveam formet, in ventre fixi, modò infra, modò ſupra ipſum, modò ad latera, vagi, circa lumbos enormiſſimi, ad deſperationem ferè adigentes, modò perforantes, modò contorquentes, rodentes, modò pungitivi, ardentes, potiſſimùm conſtrictivi, diſtenſivi à ſuperioribus ad inferiora, per pronum decubitum aliquantum remittentes, alvus conſtipata, ut nè unicus quidem egrederetur flatus, iſchuria, rigor aliquando levis, calor autem vehemens, modò mitior, modò exæſtuans, cordis, ſed recurrens, palpitatio, pulſus frequens, celer, validus, compreſſio pectoris ſpiritum detinens, vigiliæ, ſudor aliquando angens, laſſitudo ulceroſa, dolor inguinum & ſcroti diſtenſivus. Suaſit, ut quibusvis ſex aut octo horis clyſter, etiamſi nihil educat, domeſticus injiceretur. ℞. *lact. vaccin.* (alternando, aliquando *juſc. carn.* aliquando *cremoris hordei)* ℔ß *ol. lini* (cui *chamomill.* & *ruth.* aliquando ſubſtituit) ℥j. *vitell. ovor. n. ij. butyr. recent.* ʒvj. *ſal. comm. parum.* Præſcripſit pulv. ℞. *Corn. alc. phil. calcinat. C. C. philos. calcinat. cryſtall. præparat ana. gr. XV. ſal. abſynth. chamomill. ana. gr. V.* M. F. pulv. dividatur in 2. part. æquales. S. Pulver / davon das eine vor / das andere Nachmittag zunehmen / & ℞. *Aq. ſcorzon. chamomill. taraxac. acetos. ana.* ℥jß. *ſyr. e ſucc. arant.* ʒvj. M. D. S. all halb Stund ein paar Löffel voll davon zunehmen. *Empl. de tacamahac. Schröderi* Thaleri magnitudine ſcrobiculo cordis imponi curavit, vino penitùs omni interdicens, ſequens decoctum pro ordinario commendans potu. ℞. *C. C. uſt.* ʒvj. *rad. ſcorzon. viſc. quern. ana.* ℥ß. *ſem. fœnic.* ℥j. pro menſura una aq. & ob ſitim intenſiſſimam tempore matutino hauſtum *acidularum Dainacenſium* concedens, nec ullum aſſumendum cibum præter juſcula carnium injungens. Veſperi dolores intenſiores, iſchuria perdurans, vomitus amarus, flavus, copioſus; præſcripſit: ℞. *ſem. 4. frigid. excort. ana.* ʒß. *papav. alb.* ʒß. F. cum *Aq. acetoſ. fragor. tarax. ana.* ℥j. *Emulſ.* ℞. *Vnguent. clyſmatic.* ℥ß. *ol. lumbr. chamomill. ana.* ʒvj. M. D. S. äuſſerlich den Leib offt damit zu ſchmieren. Per noctem vigiliæ torquebant cum ſummo dolore continuæ, Ægro vix oculos claudenti quaſi terrefacto concutiebantur membra, delirabat leviter. Tertio morbi die perdurabant, in ò ingraveſcebant ſingula, vomebat modò mucum album ſpumoſum, modò humorem viridem acidum. Juſſit Medicus, ut repeterentur *pulvis*, Waſſer / *pulveri* tamen addendo *pulv.*

ſpir. mirabil. Myns. & *lumbr. præparat. ana.* ℈ß. cum externis ac umbilic. illineretur. ℞. *Axung. anſer.* ℥ij. *Bals. Zibeth.* ℈ß M. D. Veſperi vomitus ceſſabat, urina, ſed parciori tamen quantitate, cruda flammea emittebatur; Noctis ſub initium deglutiendas ſuaſit ſequentes pilulas, ℞. *Theriac. cœleſt gr. iij. extract. papav. compos. gr. ij. cinabar. nativ. gr. j.* M. F. pil. Nox iterum inſomnis, tamen aliquantum tolerabilior prioribus; Manè dolores non ventris ſolùm, ſed & extremorum lancinativi immaniter affligebant; *pulv.* & Waſſer/denuò repetenda, ſimulque nucham & ſpinam ſeq. *ol.* inungendam præcepit. ℞ *ol. lumbr.* ℥j. *vulpin. è flor. Slotan. ana.* ℥j. *pingued. viperin. Ital.* ℥j. M. D. Veſperi deflare incipiebat æger, urinam nubeculam oſtendentem emittebat. Præſcripſit pil. ℞. *Theriac. cœleſt. Extract. papav. compos. ana. gr. iij. Laudan. opiat. cinab. nativ. ana. gr. j.* M. F. pil. Per noctem à nimia vehementia parùm ceſſabant dolores, *clyſteres* huc usque continuati, licet nihil ſecum duxerint; Die quinto ſenſim remiſerunt dolores, venter priſtinæ reſtitutus formæ: *pulv.* & Waſſer rurſus aſſumpta fuere. Nox inſecuta quieta, ſomnus per quinque horas, mane alvus ſponte aperta cum flatibus copioſis. De nulla amplius conquerebatur æger moleſtia, quàm laſſitudine quadam & levi inteſtinorum quaſi excoriatione Per triduum mane & veſperi pro lubitu non cura, ut vocant, uſus acidulis, penitusque reſtitutus fuit per Dei gratiam ſalvus hactenus & incolumis.

RESOLUTIO.

I. THema *Exercitij Diſputatorij* ſeligenti placuit non intricatæ cujusdam *controverſiæ* enodatio in mera conſiſtens λογομαχίᾳ, ac absque ullo in praxi uſu finiens, nec *experimentum* quoddam ad Authoris non Naturæ placitum violenter factum, nec *novæ* cuidam morbo aſſignatio *cauſæ*, Medicum ad ægri lectum confundens potiùs quàm juvans, ſed hæc ab *Excell. Dn. Præſid.* mihi communicata *Curationis Hiſtoria*, cùm tales caſus frequenter occurrant multum tàm Medicum, quàm ægrum fatigantes, ut hic mortem ſæpius aliàs terribilium terribiliſſimum præ vita exoptet. Rationes ergò & *Affectus* & *Curationis* exponam brevibus, de curatione tum *Ipſius* aliis vicibus infeſtantis, tùm ſubſequentis *Pareſeos* hic agere meum non ducens, cùm aliorum acta examinare, cenſere, taxare verecunda me prohibeat modeſtia.

II. Tritâ ergò ab ἄρσεν ad θῆλυ viâ incedens dico, hunc affectum *Non fuiſſe Dolorem Nephriticum*, quia non fuit gravativus, non ſemper fi-

xus, non lumbis ſolùm, non renum & ureterum regione circumſcriptus dolor, alvus hîc penitus occluſa, nulla ſtranguria, nullus in glande pruritus aut dolor, non femoris ſtupor, nec ante, nec in, nec poſt morbum ſabuloſa excreta fuerunt, æger nunquam antea nephritide laboravit. *Non Hyſtericum*, quia, præter alia, vir hîc ægrotavit, quanquam in pluribus fœminis talis ſpaſmus, qualis hic, pro hyſterico dolore à Quibusdam Medicis tractetur. *Non à grumis ſanguinis*, quia nulla externa præceſſit violentia, animi deliquia, corporis ac abdominis frigiditas abfuerunt, quæ aliàs ſigna colicæ à ſanguine grumoſo ponit *Glückrad D. Colica* §. *20.* nullus excretus fuit grumus. *Non à pure*, cùm inflammatio abfuerit, nec puris dejectio ſecuta. *Non in peritonæo ſolùm & muſculis abdominis*, quia harum partium dolores in profundo non ſunt, & tactu explorantur. *Non tormina ventris ſcorbuticis familiaria*, hæc enim per intervalla infeſtare, diu durare, nec alvo etiam ſoluta aut flatibus exeuntibus miteſcere ſolent, ut teſtatur *Charleton de Scorbuto cap. 14. art. 9.* abſentibus hîc præprimis aliis ſcorbuti ſignis. *Nec Colicam*: A cauſa frigida, viſcida, pituitoſa, quia non ſtabilis & fixus dolor, ſed ſitis, calor p. n. & alia adfuerunt. *Nec flatulentam*, cùm non diſtentum, extenſum, tumidum fuerit abdomen, alvus nunquam ſoluta, flatibus generandis apta non præceſſerint; (Flatus tamen incarceratos imò crudos in hoc ægro ſuum contuliſſe ſymbolum non negaverim.) *Nec bilioſam*, quia bilis in hoc caſu degener penitus erat, alvus ſolvebatur nunquam, dolores conſtrictivi, ipſa conſtrictio, & cordis palpitatio aderant. *Nec contagioſam, malignam*, quæ ſatis frequens aliàs eſt, ipſe enim æger nec ab alio infectus, nec alium infecit. *Nec Colicam ab inflammatione* aut *eryſipelate*, quæ à dolore Iliaco ſæpè non differt, (ſicut & *Veteres* plerique Colicum dolorem ſub Ileo comprehenderunt,) quod præter plura jam adducta, decubitus pronus & abdominis compreſſio non ſolùm dolores non intendens, ſed quaſi per inducias ſopiens, doloris pulſantis abſentia, & febris mitior quàm ab inflammationibus, docent. *Nec ab inteſtinorum dislocatione*, non enim hernioſus eſt æger, nec violentus præceſſit motus. *Nec à Saturno, lithargyrio* aut aliis hujus proſapiæ *mineralibus*, quæ metallifoſſoribus, tinctoribus & aliis quibusdam opificibus communis eſt, talia enim nunquam tractavit, licet iſta aliàs, ut vocant, colica accuratius ſæpe noſtro accenſeretur ſpasmo. *Nec colicam hæmorrhoidalem*, cùm hæmorrhoides neque cæcas, neque fluentes, ante aut poſt morbum expertus

pertus

pertus ſit. *Nec à vermibus*, horum enim nulla patebant ſigna, morbo ſoluto non prodierunt, ac dolor non per intervalla affligebat. *Nec à calculo, ſcybalis, aliisve duris*, venter enim contractus dolor gravativus non fuit, nec talia excreta fuere. *Nec colicam catarrhalem*, quod deſcriptio hujus *à Capivaccio Med. pract. l. 1. c. 27.* monſtrat.

III. Theſis ergò mea ſit. Ex iſtis in Hiſtoria recenſitis ſymptomatibus affectus, quo æger hic moleſtatus fuit, ſalutandus eſt *Inteſtinorum Spasmus*, nim. *contractio, tenſio ac motio fibrarum inteſtinorum & vicinarum partium convulſiva, à cauſa acri nervoſas ibidem partes irritante oriunda, varia iſta ſecum ducens ſymptomata.* Contrahuntur, tenduntur ac moventur non eædem ſimul fibræ, ſed his contractis, tenduntur aliæ, moventur hoc tempore hæ, alio illæ, contrahuntur non, prout obliquæ, circulares, transverſæ in ſtatu naturali contrahi ſolent, ſed alio ſecundum longitudinem vario p. n. comprimente & convulſivo modo. *Spasmum* autem *Inteſtinorum* ut inſigniam, non indulgentia opus mihi eſſe duco, qua donat mulierculas tormina ventris in infantibus Epileſiæ ventris nomine deſcribentes *Drawiz. de Scorb. p. 277.* *Non* enim ſaltem *quaſi*, ſed *verus* fuit Spasmus, cum τὸ *formale*, ipſa nimirum conſtrictio convulſiva adfuerit, ſæpiùs enim ab acri cauſa laceſſitur, læditur, ſolvitur pars, at non talis fit, qualis hîc ad oculum patebat & in aliis nonnunquam conſpicua eſt partibus, contractio, par illi, qualis in variis veri ſpasmi omnium ſententiâ ſpeciebus contingit; cùm ipſa *cauſa*, quæ ad verum requiritur ſpasmum, adverſitas nim. moleſtia aut acrimonia non dolorem ſolum & primariò, ſed ſpaſmum producens in ægro locum habuerit & principatum, & denique ipſum *ſubjectum* maxime diſpoſitum ac aptum ſit, membranæ enim nerveæ ſpiritibus animalibus perfuſæ, quæ à talibus cauſis irritantur, fibræ, quæ moventur, copioſæ in inteſtinis & vicinis partibus ſunt; quæ autem particula corporis partem voluntario præditam motu ſpasmodicè movere, contrahere, tendere valet, cur non & aliam, ſi cauſa adeſt, pariter movere poſſet, nec enim iſtarum partium fibræ tantum à ſe invicem differunt; imo pot ſſimæ hæ partes, quæ ſubjectum, ut mox patebit, conſtituerunt, ſuo non ſunt deſtitutæ motu in ſtatu naturali. *Dictator Noſter Prænot. Coac.* σπασμώδεα, affectiones convulſorias, ut *Cornarius* vertit, vocat tales *p. m. 386.* Spasmus *non* fuit *per ſympathiam*, ut vocant, quia nullum alium ſpasmum demum ſequebatur. At, cur ſcapham non vocas ſcapham, inquies? laboravit hic Tuus æger *colico dolore,*

cur

cur ergò novum fingis nomen, cur non colicæ præfigis? *Verùm* 1. Non Colon ſolùm, ſed & alia hîc patiebantur inteſtina, non hæc ſolùm inteſtina, ſed & vicinæ partes. 2. Spasmus, primarius affectus, majus, quàm dolor, minatur periculum. 3. Frequentiſſimè dolores his à me deſcriptis vehementia non cedentes ventrem infeſtant ac potiſſimùm colon, absque omni tamen ſpasmo. 4. Spasmo ſublato & dolor colicus & reliqua ceſſarunt ſymptomata. 5. Iſchuria colicæ communis absque nephritide non eſt. 6. Cauſa in tali caſu, ſi per victum, medicamenta, pathemata animi, aut alia intenditur aut extenditur, non tàm dolor creſcit, quàm Epilepſia ſpasmodicus motus intenſus oritur. 7. Affectus hic, ut oſtenſum, ab enarratis colicæ ſpeciebus eſt diverſus. 8. Ipſa cura à communi colicæ ab Authoribus pleriſque præſcribi ſolita curatione differt.

IV. Spasmi hujus *Subjectum* poſui *Inteſtina & Partes vicinas*: *Inteſtina* nim. primariò & potiſſimùm, tàm *tenuia*, quàm *cæcum & colon*, modò circa hanc, modò circa illam partem, prout hoſtilis cauſa hîc vel illic aggrediebatur, imprimis colon propter tunicas, fibras & valvulas majores, huic obnoxium malo, (ex dolore certo colon affectum non colligo, quod alii faciunt, cum non ſemper in omnibus individuis eundem obtineat ſitum) cum vicinis partibus, *ventriculo*, *meſenterio*, *muſculis & membranis abdominis*, *peritonæo*, *pancreate*, *veſica bilaria*, *ureteribus*, *veſica urinaria*, & *renibus*. Hæ partes unà cum inteſtinis ſimul afficiebantur, propter *communionem nervorum*, quorum ortus, ramificationes, inſertiones & communicationes ex *Bartholino* & *Williſio* hîc non repetam, *vaſorum* aliorum tàm ſanguini, quàm chylo ac lymphæ transvehendæ dicatorum, ductuum in inteſtina hiantium, & *fibrarum*, inteſtinorum enim fibræ meſenterii inſeruntur margini, propter *alligationem*, quæ invicem per *membranacea* perficitur *ligamenta*, ac propter per accumbentes ſibi partes *transudationem* aut quemcunque *contactum*; Ex una vel pluribus ſimul harum cauſarum quod ſimul dictæ partes hæ vel illæ, ſingulæ tamen in ægro hoc affectæ fuerint, expoſitio ſymptomatum docebit. Ipſa inteſtina affecta fuerunt in exteriori, in interiori ſuperficie, intra ipſas tunicas quatuor illas diſtinctas quidem artificioſè tamen invicem nexas, tàm exteriorem tenuiſſimam nerveam interiorem, quàm glanduloſam ſeu villoſam, vermicularem cruſtam, velamentum bombycinum, ut variè vocant *Authores*, imò nec liberam, ut in naturali ſtatu, ipſam cavitatem fuiſſe *judico*; *Liberum* autem cenſeo

fuiſſe

fuiſſe inteſtinum rectum, cum extremitate inteſtini *coli*, cùm clyſteres abs-que negotio injecti, ac per debitum tempus retenti fuerint. Membranæ ergò partium ante dictarum ac fibrillæ nerveæ, inteſtinorum potiſſimùm papillæ, à ſpiculis hoſtilibus irritatæ (nec, qui Spiritus animales, nec, qui Directorem ſeu Præſidem ſeu Principium determinans irritari dicit, mihi contradicet, cùm nullum ſine altero in corporis vivi parte viva agat) illa amoliri ſatagentes ac propulſare motum iſtum p. n. inſtituerunt, & fibras, quæ in omni ſpasmo ſubjectum primarium & adæquatum ſunt, ad contractionem, tenſionem & motum coëgerunt. Iſtæ enim in notatis partibus, præſertim inteſtinis, transverſæ, obliquæ, longæ, rectæ, in orbem protenſæ, circulares, annulares, diverſimodè intertextæ, variæ ſunt, quarum quædam & pleræque corrugatæ, conſtrictæ, contractæ, aliæ tenſæ fuerunt, ac expanſæ, hinc ubi certa ſive priori & poſteriori inteſtini portione conſtricta media expandebatur, ſive ſola contrahebatur, dolor fixus, aliæ vagè ſpasmodicè hinc inde motæ plerumque cum corrugatione, unde dolor vagus obortus, ac ita inteſtina cum partibus vicinis p. n. contracta, tenſa, mota, non tamen penitùs conſtrictis vaſis, fuerunt, modo contrario illi, cùm à replentibus expanduntur, relaxantur, diſtenduntur. Annon præ nimio ſpasmo, & in hoc ægro introſuſcepta fuerit inteſtini portio, vix negavero.

V. *Cauſam* poſui *acrem* (prout pleraque adverſa, moleſta, inimica ſub acrimoniæ aut ſpiculorum generali nomine comprehendere hodie amant *Medici*) in eum nim. acrimoniæ gradum exaltatam, ut *irritet*, id eſt, ſpiritus animales nervorum incolas ſuum ſequentes Ducem & Directorem ad iſtam convulſivam contractionem pro auxilio ac profligatione invitet, vocet, cogat. Ludens autem in hoc ægro ſub forma tàm *humoroſa* & craſſiore, viſcidiore & tenui, ſubtili, volatili, quàm *ſpirituoſa* ac *flatulenta* infecit *gluten* illud *naturale nervoſarum partium*, (non hîc ſuccum illum nervinum à *Quibusdam* nutritioni partium præfectum, ſed ſerum illud, humorem, mucum, quo omnes corporis & potiſſimùm nervoſæ partes perfuſæ madent, ſed & ſuccum jamdum aſſimilationi proximum intelligo) ac acrius reddidit, quæ acrimonia ex ſeminali proprietate ſpaſmum hunc, non aliud & diverſum inteſtini malum, gignere valuit.

VI. *Fontes* autem, è quibus acris iſta cauſa, hoſtilis illa adverſitas ſcaturiit, ſunt *ſanguis*, ſive heterogeneis jamdum tinctus humoribus, particulis, ſpiculis aut ſalibus, (voca prout lubet) ſive ad locum affectum dum affluxit, demum infectus, corruptus, *lympha*, *chylus*, *cibi reliquiæ*,

B (nam

(nam etiamſi exactiſſimam obſervaſſe ſe diætam retulerit æger, tamen & ſub hac in iſtis periodos certas ſervantibus morbis à dictis & dicendis hi corrumpi ſolent) *fermentum ventriculi & inteſtinorum*, glandularum ſoboles, *mucus, bilis, ſuccus pancreaticus, ſaliva*, ac *alvi fæces*. Hi omnes aut plerique hîc *à ſua nativa deviantes craſi, partim* ſoli acrimonia & ſpiculis inſignes fuerunt, *partim* juncti ſe invicem in iſta acredine intenderunt, *partim* ob effervеſcentiam irritativam talem heterogeneitatem contraxerunt; hinc peccaſſe judico humores ſeroſos, ſalſos, ſulphureos, bilioſos, acidos, alcalicos (nam proh dolor! in pluribus morbis adverſi iſti pugiles non ita, ceu in libris, ſeparantur) lixivioſos, nitroſos, ponticos, auſteros, modò hos, modò illos, modò iſtos, in hac vel illa parte, pro vario invicem, qui contigit, occurſu, & noviter ſemper alluentis ac affluentis varia conditione, pro varia ſub ipſo morbi decurſu à ſymptomatibus facta mutatione, modò tenues, modò craſſos (nam viſco involuta bilis in morbis cudendis tenax eſt.) Iſta autem degeneratio accidit *partium* tàm ad *elaborationem* cujusvis facientium, quàm *excretioni* dicatarum, ut & *materialis cauſæ* vitio. Iſtæ enim, quæ quaſi per circulum hîc *cauſam*, ſuprà *ſubjectum* incuſavi, in hoc ſubjecto ſingulæ dictis modis ſuum contribuerunt momentum, licet *ventriculum* & *inteſtina* cæteras in hoc negotio, ſed culpando, vincere ſymptomata monſtrent. *Cerebrum* in colligendo hîc ſero, quod *Piſo* vult, primas *non* tenuit. Propter ergò *vitam ſedentariam* & *ſpiritus tàm vitales quàm animales* à coctione, generatione, activatione humorum ac fermentorum naturalium *avocatos* ſenſim ſenſimque deviarunt, defeiverunt ac iſtam contraxerunt indolem, quæ, ceu & nonnunquam congenita quædam, diu latet aliquando, quaſi cruda, compedibus ſtricta, à leviſſima v. cauſſa maturatur, prorumpit & ſolvitur, & ſic peregrinos nonnunquam fures diu detineri dicit *Grembs Arb. integr. & ruinos. homin. l. 2. c. 1. §. 5. n. 4. Cauſas remotiores* è rerum *Naturalium*, *Non-Naturalium* & *Præternaturalium* ſerie poſt recuperatam ſanitatem indagare ſuperfluū cenſeo; ſufficiat, *temperamentum* bilioſo-melancholicum, *vitam ſedentariam* & *ſtudia aſſidua* ad generandam cumulandam & detinendam dictam cauſam multum contuliſſe.

VII. In Subjectum igitur dictū expoſita agens Cauſa, dum ſubſiſtebat ibi ac hærebat, agmen iſtud ſecum duxit ſymptomatum. *Suas* hic affectus habuit *periodos* à materiæ varia conditione & cauſarum moventium, è quarum ſerie aſtra non excluderem, ſuſcitatione, impulſu; ſicut non ſolùm alii ſed & tales ſpasmodici inteſtinorum affectus nonnunquam fixas ſuas

ac certas habent periodos, nonnunquam velut febres horis, menſibus aut annis anticipant, poſtponunt. Primo morbi die ante adventum *Medici* (nam rarò *Medicus* primo morbi vocatur principio) cùm jam deviare, degenerare, moveri humores in iſtis partibus obvii ac ſenſim vellicare, irritare cœperunt, *deſcripta* primùm oboriebantur *ſymptomata.* Reliqua, quæ artificiosè interroganti *Medico* expoſuit, potiſſima fuere ſequentia. *Color vultus* & *oculorum* delineatus à ſanguine reſplenduit bile penitùs degenerante ac lympha corrupta inquinato, ob humores ſupra deſcriptos loco chyli laudabilis per lactea adductos corrupto, & à ſpiritibus animalibus turbatis, confuſis, in terrorem actis. *Nauſeam* perverſum penitùs ventriculi fermentum, propulſi per p. n. iſtum motum illuc humores varii, & ſpiritus animales irritati induxerunt, ut non ſolùm nullus appetitus, non ſolùm averſatio cibi, ſed & conatus ejiciendi moleſtum adfuerit. *Sitim intenſam* excitavit humido debito deſtitutarum faucium, palati ac linguæ exiccatio, oriunda, tàm à ſalinis illuc copiosè vectis particulis, quàm à nimio dolore ac vigiliis. *Aſſumpta* & *mucum viſcidum vomuit* ventriculus, ab humoribus tàm quantitate quàm qualitate moleſtis laceſſitus, & per communionem membranarum in ſpasmodicum etiam motum actus. *Anxietatem, jactationem, cardialgiam*, acres illi ac adverſi humores ventriculum quà orificia potiſſimùm nimiùm lancinantes, torquentes generarunt, quin & cor à ſanguine inordinatè moto & humoribus dicto modo laceſſentibus ſe liberare conatum fuerit, nullus dubito. *Vmbilicum retraxit*, & iſtam formavit *foveam* meſenterium, quod corrugatum cum vicinis inteſtina retraxit, collegit, & ſibi invicem quaſi alligavit. *Dolores* iſtos enormiſſimos intenſa cauſæ acrimonia in inteſtina & partes tenero ac exquiſito ſenſu prædictas irruens creavit, rodentes ſalſedo acrior, ardentes & pungitivos ſulphureæ, vel etiam efferveſcentes particulæ, contorquentes, comprimentes ponticæ & auſteræ, conſtrictivos & diſtendentes ſpasmodica quà diverſas inteſtinorum & vicinarum partes contractio, fixos, in certa ſive contracta, ſive inter contractas expanſa parte hærentes, vagos in ſpasmodicè motis variis partibus vagantes cauſæ, perforantes acredo viſcida; Senſum veluti perforationis ab inæquali partium convulſione deducit *Piſo de morb. à proluv. ſeros. p. 253.* Humores & flatus non ſolùm intra tunicas, ſed & hîc ibi impacti, impediti, ob viæ præcluſionem detenti ita rodunt, lacerant, diſtendunt, ſolvunt. *Lumbi* ob meſenterium ſubſtratum & forſan non liberam ſpinam *doluerunt. Alvum conſtipavit* contractio & conſtri-

ctio inteſtinorum in uno vel alteroloco, ac fæcum ſegregatio læſa. *Flatus* egreſſus eſt *nullus*, quia crudi, non liberi erant, ac inteſtina corrugata exitum non concedebant; ſub finem copioſi exierunt, quia libera patebat via remittente ſpaſmo, crudi amplius non erant, imò annon denuò è materia correcta exuſcitabantur? *Iſchuriam* ureteres, veſica imò & renes ſpaſmodicum iſtud πάθος ſimul experientes ac patientes cauſarunt. *Rigere* aliquando leviter ſanguinis ad exteriora motus quodammodò interceptus, inæqualis & irritatio iſta ſubitanea fecere. *Calor* pro varia ſanguinis efferveſcentia variabat. *Cor* ad *palpitationem* ſanguinis perverſa craſis, inordinatus, concitatus motus & compaſſio nervoſa ob nimium dictarum partium ſpaſmum adegit. Idem ſanguinis vehementior ac celerior motus *frequentem celerem* ac *validum* effecit *pulſum*. *Pectus compreſſit*, & *difficulter ſpirare* fecit ventriculi modò inflatio, modò conſtrictio, ſanguinis efferveſcentia, diaphragmatis motus impeditus, nervorum pectoris muſculis, pulmonibus ut & diaphragmati inſertorum in ſpaſmum etiam à nimia cauſæ intenſione actorum vitium. *Vigilias* excitarunt nimii dolores, excellens ſenſile moleſtum, ſpiritus quieti ſe daturos, ſe collecturos revocantes, vapores quaſi ignei, acerrimi, volatiles, ſanguis cum lympha inquinatus cerebri poros nimis diſtendens. *Sudorem angentem* lympha ex glandulis ſubcutaneis expreſſa conſtituit. Obſeſsi ab acribus iſtis humoribus ac flatibus muſculi, & ſpiritus animales gravati, turbati, diſſipati *ulceroſam* induxerunt *laſſitudinem*. *Dolebant inguen & ſcrotum* diſtenta ob eorum membranas & in iſtam p. n. tenſionem actas. Sub *Veſperam* ac per *Noctem* quædam horum ſymptomatum perdurabant, ob perdurantem cauſam, quædam intendebantur, ab auctam eandem, ob ſpiritus magis laceſſitos, diſſipatos, accedente *vomitu amaro flavo* expreſſa bile ex folliculo fellis, & humores obvios ſua tingente tinctura, ventriculum in iſtum cogente furorem, *terrore*, à nimia irritatione, à confuſione ſpirituum, & *delirio levi* ob turbatos ſpiritus & accenſos. *Tertio die* vomitu ejecta *mucoſa*, *ſpumoſa*, *viridia*, *acida*, expreſſo per vim ibi aliàs hærente muco & ſucco pancreatico cum bile in ſpumam propter efferveſcentiam & agitationem humorum elatis, inſimul ob animi conſternationem, dolores intenſos, aliasque internas cauſas fermento ac bile penitùs degenerante, imò obviis aliis humoribus aceſcentibus. Ceſſabat *Veſperi* vomitus, pauca prodibat urina, quia humores alterari, ſubigi, domari, coqui, maturari, ſpicula remittere de acumine incipiebant. *Quarto die* vehementi ventris & *extremorum* acceſſit

dolor

dolor, cùm in negotio Natura ſeu Archeus ferveret, & materia ad extrema moveri incipiens nervos ibidem afficeret; (ſub quo dolore aliàs ſi non debite tractantur ægri, præ foribus inſtat Pareſis) vehementiſſimum dolorem adhuc creans, etiamſi ſpaſmus remittere cœperit. *Veſperi & nocte*, iſtum inſequente diem flatus quodammodò egrediebantur, doloribus à vehementia aliquantùm ceſſantibus, magis edomita materia. *Quinto die* multum remiſit ſpaſmus, tandem penitus ſublatus, ut per liberam jam fæces & flatus egrederentur viam; fatigante adhuc laſſitudine, à vigiliis, doloribus, jactatione ob ſpirituum jacturam reſidua, & levi quaſi excoriatione, usque dum penitùs in priſtinum ſtatum ac figuram partes rediere affectæ, dolebant nimi, quem dolorem æger aliter ac iſto ſimili exprimere non potuit.

VIII. *Signa diagnoſtica*, quæ Ordo poſtularet receptus, ex *modò dictis & ſupra Th. 2.* adductis patent. *Prognoſin* quod ſpectat, ſpe lactavit Medicus ac ſuſtentavit ægrum, licèt penitùs deſperantem, non ſolùm fucata, ad quod ſæpiùs *Medici* coguntur, ſed vera, quia per Dei Gratiam plures hoc affectu laborantes jam priſtinæ reſtituerat ſanitati, prudenter tamen non ſolùm ſe muniens prognoſtico, ſed in cura proſpiciens, nè pareſis ſubſequatur aut epilepſia. Subſequi n. illa ſolet, quando cauſa morbifica alienã indolem, (quia non dolorem, non ſpasmum, ſed impotentiam movendi membris inducit,) ſive ſua, ſive humorum heterogeneorum permixtorum, ſive ciborum, potulentorum, ſive medicamentorum aut alia culpa induens ad artus & pedes, quorum nervi ob compaſſionem, dolores, vigilias, jactationes, jamdum debiles, vehitur; Non quidem eam, quæ in inteſtinis hæret, transferri, ſed eam, quæ in itinere ad inteſtina eſt, ad artus effundi eleganter ac ſufficienter probat *Excell. Dn. D. Metzgerus, Patronus atque Præceptor meus ad dies vitæ filiali obſequio colendiſſimus diſp. de circul. ſangu. tertia eruditiſſima.*

IX. *Indicabant* in hoc ægro & poſtulabant *partes vellicatæ, conſtrictæ, tenſæ, motæ in debitam figuram, ſitum, laxitatem & naturalem motum reductionem, ſpiritus animales irritati quietationem, collectionem, furibundi ligationem, cauſa acris, ferox mitigationem, imminutionem, devia craſis, inæqualiter figuratæ particulæ reſtitutionem, tenacitas correctionem, membranoſæ nervoſæ partes roborationem, & vires reſtaurationem*; Quæ ſingula effectui daturus *Medicus* deſcripta præſcripſit ac ſuaſit *Medicamenta. Clyſteres*, ut demulceret, oblineret humores acres, ac inteſtina blando calore ac balſamica oleoſa vi conſolaretur; *Sal commune* in mo-

dica addens quantitate, ut ſpicula quodammodò infringeret & detentionem clyſterum præcaveret. Non ſolùm ſæpius reiterata iſta injectio non nocuit hoc in affectu, (quod in alio nimis diſtendendo, relaxando, ſurſum pellendo fieret) quia nulla fermentationem cientia, acria, aut vehementia continebant ingredientia, ſed & multum profuit, quia ad ſtricturam ſolvendam, tenſionem tollendam, & motum inhibendum modis ante dictis multum faciebant, non obſtante, nihil per alvum eduxiſſe, cùm id fieri, ut infra attingam, vel non debuerit, vel non potuerit. *Pulververem*, ex *Imbibentibus* & *Nervinis*, ut tenues, acres, bilioſos, ſulphureos, nitroſos, lixivioſos, ſeroſos, acidos ponticos humores abſorberet, ſaturando corrigeret, angulos, ſpicula obtunderet, efferveſcentiam ſedaret, nervoſas partes, quod facit juxta alia potiſſimùm *cornu alcis*, roboraret, & cauſam inſenſibiliter imminueret, (*cinis cornu cervi ab occulta quadam proprietate valdè conferre creditur ad dolorem colicum, cujus rei ratio nulla reddi poteſt, ſed ſolius Experientiæ eſt inventum,* inquit *Rondelet. meth. cur. morb. l. 3. c. 26.* hîc verò ratio evidens redditur.) addens *deſtruentia*, vi ſtomachum & inteſtina conſolandi non deſtituta, ut incidendo, attenuando, abſtergendo tenaces, concentrando tenues, calorem fovendo, flatus discutiendo juvarent, tandem *antiſpasmodicis* ejus vires elevans, *lumbricis* nim. *præparatis* (*non ſale illorum volatili*, ob cauſam infra dicendam.) *pulvere epil. mirab. Mynſ.* non, ut quædam *editiones* habent, ex *factitia*, ſed *nativa cinabari* parato. Hæc enim nervoſas demulcet partes, acrimoniam invertit, ſpaſmodica corrigit, cùm in ea ſolertiſſima Natura longè feliciùs uniat Mercurium & Sulphur, quàm Artifices in panaceis & pulveribus ſuis rubris duo iſta miſcere ſolent. *Mixturam*, ex aquis *diluentibus, infringentibus, attenuantibus*, ut refrigeraret, temperaret, rarefactionem & æſtum humorum inhiberet, acres, ſulphureos, volatiles, acidos fixos ſylveſtres humores, ſpicula infringeret, mortificaret, efferos quieti daret, incideret craſſos, nervos roboraret, & vires reſtauraret, ac *ſyr. araut.* ut blando calore ſubveniret, immutaret, roboraret, flatus diſcuteret, cauſam imminueret. *Emplaſtrum de Tacamahac.* quod *Schröderus* ex *Monard.* deſcribit *Pharmacop. Med. Chym. l. 2. c. 53. n. 18.* ſtomacho longè utiliſſimum vocans, ventriculi totius regioni non induxit, ſed ſcrobiculo cordis, cùm ſub illo magis quàm alibi nudus cubet. *Emulſionem* exhibuit, ut hoſtilem cauſam oblineret, demulceret, obtunderet, dilueret, refrigeraret, urinæ viam aperiret, ſulphuream nimis ac oleoſam bilem temperaret. *Ventrem ac lumbos inungi* curavit, ut

foveret

foveret calore partes tenſas, contractas laxaret, materiam diſcuteret, nervis blandiretur, *umbilicum illini* præcepit, ut emolliret, ſpasmum ſolveret, flatus diſcuteret, aromatica balſamica vipartes roboraret. *Nucham* v. & *Spinam* dulcificantibus, temperantibus, antiſpaſmodicis, nervinis oleoſis balſamicis aromaticis particulis præditis, ut nervoſis partibus rob r ac arma adderet, ad ejiciendam affluentem materiam, ipſam cauſam immutaret, emendaret, ac imminueret. *Pilulas* præbuit ex *aromaticis, theriacalibus, nervinis, antiſpaſmodicis, figentibus*, ut acrimonia humores exueret, ſpoliaret, ipſos educeret, ſpicula obtunderet, ſpiritus diſperſos colligeret, diſſipatos reſtauraret, turbidos ſedaret, furibundos placaret, nervoſas partes roboraret. In céntro retinendæ ſub tali ſtatu ſunt ſpaſmodicæ cauſæ, nè extravagantes ſe extendant. *Theriaca cœleſtis* vires polychreſtas hîc laudare, *Laudanum opiatum* deſcribere ſuperſedeo; *Extractum papav. compoſitum*, quod ex capitibus papav. hortens. immaturis, ex ſucco flor. erratici probè tinct. & inſpiſſat. paratum, à *Quibusdam Secretariis* ſub *ſpecifici Anodyni* nomine occultatur, ſua vi placante, figente, ligante in talibus caſibus ſatis ſe commendat. Primis autem diebus *Laudan. opiatum* additum non fuit, quia materia penitùs immatura, pertinax, cruda, non ſemper obſequitur *Opiatis* aut apta eſt, etiamſi aliquantum obediat *papaveraceis*. *Acidulas*, ſed non in doſi majori, propinavit, ut fervorem potiſſimùm in ventriculo, inteſtinis ac vicinis partibus reſtingueret, ſitim ſedaret, urinæ & aliorum vaſorum portas aperiret, ſalinas, ſulphureas, heterogeneas varias particulas imbibere faceret, ſubigeret, enervaret, imminueret, ſpaſmodicas contractiones ac tenſiones ſolveret, nervoſa firmaret, reliquias morbi tolleret. Prolixiùs harum genium ac facultates vid. *in deſcript. Excellentiſſ. Dn. Præſidis.*

X. In *Diæta Medicus* probè & cauſam morbificam & vires invicem ponderans ac penſitans *juſcula*, quia cibos ſummè averſabatur æger, injunxit, plures autem & alios cibos ſi exhibere tentaſſet, ventriculus ac inteſtina perferre, ſubigere non potuiſſent, flatus copioſiores producti, & medicamenta in ſua actione impedita imò corrupta fuiſſent *Juſcula* autem illa non nutrimentum ſolùm ſuppeditarunt, ſed & medicamenti ſuſtinuerunt vices, diluendo, oblinendo, demulcendo. *Vino* interdixit, quia iſtud non aciditate ſolùm, ſed & potiſſimùm ſulphure ſuo volatili ac ſpirituoſo fervorem ac calorem intendiſſet, ſpicula acuiſſet, ſpasmodicam affectionem extendiſſet. *Decoctum* verò hauriendum pro potu ordinario exhibuit non ingratum (omni enim ſtudio Medicus in morbis, ut ordinarii potus averſatio abſit, proſpicere debet) ex *antiſpasmodicis, corrigentibus, diſcutientibus, balſamicis oleoſis*, ut & ſymptoma illud moleſtiſſimum, quod non quidem ob periculum, ſed ob moleſtiam ægro præſertim delicato ac impatienti illatam urgen-

tiſſimum ſæpè eſt, ſitim nempè intenſam mitigaret, & ſimul modis dictis cauſæ morbificæ obviam iret, ac partibus affectis ſubveniret. Egregias in tali & ſimilibus caſibus vires poſſidet *ſcorzonera*, de qua *Vid. Magnif. Acad. Nat. Curioſ. Dn. Præſidis Tractatum doctiſſimum.* Ex paucis autem ingredientibus iſta conſtabat potio, quia farrago iſtorum in tali potuum & medicamentorum etiam genere gratiam exuit, vires confundit, obtundit, perdit, ac ægro afflicto aliam ſæpè addit afflictionem, crumenæ nim. ob pretium medicamentorum nimium tabem. Hiſce armis hunc, *DEO benedicente*, debellavit hoſtem *Excellentiſſ. Dn. Præſes*, in aliis individuis ab hoc obſeſſis, non penitùs quidem ſemper iisdem, ſed tamen paribus aliis providè variando utens, cùm Sapientiſſimum ac Benigniſſimum Numen plùrima viribus paribus inſtruxerit, in hoc vel illo tamen variantia, medicamenta.

XI. At quædam circa hanc curandi methodum obſervatam moveri poſſent *Dubia. Cur vomitorium, purgans, leniens nullum exhibitum fuit? Reſp.* 1. An quantitas cauſæ morbificæ tanta, quanta, ut indicans talis evacuationis conſtituat, requiritur, hîc adfuerit, dubito, imò non multa, ſed ſæpè vel exigua materia in ſpaſmodicis afficit affectibus. 2, Indicans tale præſens à contraindicantibus, prohibentibus vinci facilè poteſt In hoc ægro ipſa inteſtina nimiùm conſtricta viam per fermentativam fuſionem liquatis humoribus non conceſſiſſent, partibus affectis major irritatio inducta, materiæ acrimonia, ſpiculorum acies, ſulphurearum particularum fervor ac volatilitas aucta, dolores exaltati, imò annon per novam iſtam fermentationem magis agitata, immutata cauſa pareſis ſubſecuta? fuiſſent. 3. Materia morbifica tùm ob ineptitudinem non obſecundaſſet, hinc experientia teſtatur ante quartum vel quintum diem in tali ſpaſmo, ſive lenia, ſive vehementia purgantia, ſive per ſuperius, ſive per inferiùs guttur infundas, nihil penitùs educere, dolores verò intendere. *Cur volatilia, calida, urinoſa, ſpirituoſa, oleoſa antiſpasmodica, quæ imbibentibus, diluentibus, temperantibus, deſtruentibus longè activiora, intermiſſa? Reſp.* Talia noſtris œnopotis, ubi talis æſtuatio, fervor ac Archéi furor adeſt, (nec omni ſtomacho) non convenire Experientiam teſtem adduco; Ratio ejus in promptu eſt. *Cur non ſtatim antiſpasmodica illa, lumbric. & pulv. epil. mirab. Myns. primo addita fuerunt pulveri? Reſp.* Morborum cauſæ non ſubitò frangi, inverti, ſed ſenſim emendari, tolli, poſtulant, hinc non tàm præcipites quàm lentuli prudenter & feliciter ſæpè curant. *Cur ſecundo vel tertio die morbus non ceſſavit, cum tamen eadem ſaltem medicamenta adhibita, eadem à Medico intentio obſervata fuerit? Reſp* 1. non penitùs non profuerunt Medicamenta, cauſæ enim ferociam ſenſim mitigarunt, ſpicula infregerunt, aculeos obtuderunt, partes reduxerunt, periculum majus averterunt. 2. Et habent ſua tempora morbi, quæ uſu Artis & diligenti obſervatione exactè notet Medicus. Rariſſimè hoc ſpasmi genus ante quintum, aliquando ſeptimum diem tolles. Verùm, *inquies, cur ergò ægrum clyſteribus, pulveribus, mixturis, emulſionibus, pilulis, &c. maceravit Medicus, cur non tempus illud, quo morbus hic tolli ſolet, expectavit? Reſp* Naturam in ſuis actionibus multum juvare valet Ars, ſubitò tamen & in inſtanti quaſi nihil producere, ſed certum expectare terminum utraq; tenetur, quod in Artis & Naturæ laboratoriis, ubi ſæpius absque Artis auxilio Natura ſuccumbit penitùs, quotidiè patet. Hæc ſunt, quæ de Spasmo hoc proponere, & publicæ ventilationi exponere libuit. Sit Gloria DEO.

F I N I S.